



Sancte Raphael Archangele.

DIE II. OCTOBRIS.

In Festo SS. Angelorum

—\*— Custodum. —\*—

INTROITUS. *Benedicite*, p. 540.

Oratio.

**D**Eus, qui ineffabili providentia sanctos Angelos tuos ad nostram custodiam mittere dignaris : largire supplicibus tuis, et eorum semper protectione defendi, et aeterna societate gaudere. Per Dominum ... qui tecum.

Lectio libri *Exodi*.

*Exod. 23. d.*

**H**ec dicit Dominus Deus : Ecce ego mittam Angelum meum, qui praecedat te, et custodiat in via, et introducat in locum, quem paravi. Observa eum, et audi vocem ejus, nec contemnendum putes : quia non dimittet cum peccaveris, et est nomen meum in illo. Quod si audieris vocem ejus, et feceris omnia, quae lo-

quor, inimicus ero inimicis tuis, et affligam affligentes te : praecedetque te Angelus meus.

**Graduale.** *Ps. 90.* Angelis suis Deus mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis. *V.* In manibus portabunt te, ne unquam offendas ad lapidem pedem tuum. *Alleluia, alleluia.* *V.* *Ps. 102.* Benedicite Domino omnes virtutes ejus : ministri ejus, qui facitis voluntatem ejus. *Alleluia.*

In Missis votivis post Septuag., omissis *Alleluia*, et *V.* sequenti, dicitur.

TRACTUS. *Benedicite Dominum*, p. 149.

Tempore Paschali omititur Graduale, et ejus loco dicitur : *Alleluia, alleluia.* *V.* *In conspectu*, p. 149.

EVANGELIUM. *Quis putas*, ut supra xxix. Septembris, p. 540.

Et dicitur *Credo*.

**Offertorium.** *Ps. 102.* Benedicite Dominum



omnes Angeli ejus : ministri ejus, qui faciunt verbum ejus, ad audiendam vocem sermonum ejus.

**Secreta.** Suscipe, Domine, múnera, quæ pro sanctorum Angelorum tuorum veneratione deferimus : et concede propitius ; ut perpétuis eorum præsiidiis, a præsentibus periculis liberemur, et ad vitam per-

veniamus æternam. Per Dominum.

COMMUNIO. *Benedicite*, p. 547.

**Postcommunio.** Sumpsimus Domine, divina mysteria, sanctorum Angelorum tuorum festivitate lætantes : quæsumus ; ut eorum protectione ab hostium jûgiter liberemur insidiis, et contra omnia adversa muniamur. Per Dñum.

## DIE IV. OCTOBRIS. S. Francisci Conf.

**Introitus.** *Gal. 6.*

Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi : per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo.

*Ps. 141.* Voce mea ad Dñum clamavi : voce mea ad Dñum deprecatus sum. V. Glória Patri.

**Oratio.** Deus, qui Ecclesiam tuam, beati Francisci méritis, fetu novæ prolis amplificas : tribue nobis, ex ejus imitatione, terræa despice-re, et cælestium bonorum semper participatione gaudere. Per Dominum.

Lectio *Epistolæ* beati Pauli Apostoli ad Galatas. *Gal. 6. d.*

**Fratres :** Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri

Jesu Christi : per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo. In Christo enim Jesu neque circumcisio aliquid neque circumcisio valet, neque præputium, sed nova creatura. Et quicumque hanc regulam secuti fuerint, pax super illos, et misericordia, et super Israel Dei. De cetero nemo mihi molestus sit : ego enim stigmata Domini Jesu in corpore meo porto. Grátia Domini nostri Jesu Christi cum spiritu vestro, fratres. Amen.

**Graduale.** *Psal. 36.* Os justi meditabitur sapientiam ; et lingua ejus loquetur judicium. V. Lex Dei ejus in corde ipsius : et non supplantantur gressus ejus. Allelúia, allelúia. V.

Franciscus pauper et humilis, cælum dives ingreditur, hymnis cælestibus honoratur. Allelúia.

EVANGELIUM. *Respondens Jesus*, p. [20].

OFFERTORIUM. *Veritas mea*, p. [29].

**Secreta.** Múnera tibi, Domine, dicata sanctifica : et intercedente beato Francisco, ab om-

ni nos culpárum labe purifica. Per Dominum.

COMMUNIO. *Fidelis servus*, p. [33].

**Postcommunio.** Ecclesiam tuam, quæsumus Domine, grátia cælestis amplifiet : quam beati Francisci Confessoris tui illuminare voluisti gloriósis méritis, et exemplis. Per Dominum nostrum.

## DIE V. OCTOBRIS.

## SS. Placidi et sociorum Martyrum.

MISSA. *Salus autem*, de Comm. plurim. Mart. p. [16]. præter Orationes seq.

**Oratio.** Deus, qui nos concedis sanctorum Martyrum tuorum Placidi et sociorum ejus natalitia colere : da nobis in æterna beatitudine de eorum societate gaudere. Per Dominum nostrum.

**Secreta.** Múnera tibi, Domine, nostræ devo-

tionis offerimus : que et pro tuorum tibi grata sint honore justorum : et nobis salutaria, te miserante, reddantur. Per Dominum.

**Postcommunio.** Præsta nobis quæsumus Domine, intercedentibus sanctis Martyribus tuis Placido et sociis ejus : ut quod ore contingimus, pura mente capiamus. Per Dominum.

## DIE VI. OCTOBRIS. S. Brunonis Conf.

MISSA. *Os justis*, de Communi Conf. non Pontificis, p. [28], præter Orationes seq.

**Oratio.** Sancti Brunonis Confessoris tui quæsumus Domine, intercessionibus adjuvemur : ut qui majestatem tuam graviter delinquendo offendimus, ejus méritis

et precibus, nostrorum delictorum veniam consequamur. Per Dominum nostrum.

**Secreta.** Laudis tibi Domine, hostias immolamus, in tuorum commemoratione Sanctorum : quibus nos et presentibus exui malis



confidimus, et futuris. Per Dóminum nostrum. **Postcommunio.** Quæsumus, omnipotens Deus: ut qui cælestia alimenta

percépiimus, intercedente beato Brunóne Confessore tuo, per hæc contra ómnia adversa muniamur. Per Dñum.

## DIE VII. OCTOBRIS.

**S. Marci PAPÆ ET CONFESSORIS.**

**MISSA.** *Sacerdotes tui,* de Comuni Conf. Pont. secundo loco, p. (23), exceptis Oratíonibus seq., cum Comm. SS. Sergii, Bacchi, Marcelli et Apuleii Mart. **Oratio.** Exáudi, Dómine, preces nostras: et, interveniente beato Marco, Confessore tuo atque Pontífice, indulgéntiam nobis tribue placátus, et pacem. Per Dóminum.

Pro SS. Martyribus.

**Oratio.** Sanctórum Mártyrum tuórum nos, Dómine, Sérghii, Bacchi, Marcelli et Apuleii beata mérita prosequántur: et tuo semper faciánt amóre ferventes.

Tertia Oratio. *A cunctis nos,* p. [80].

**Secreta.** Accépta tibi sit, Dómine, sacráta plebis oblátio, pro tuórum honóre Sanctórum: quorum se méritis de tribulatióne percépis-

cognóscit auxilium. Per Dóminum.

Pro SS. Martyribus.

**Secreta.** Majestátem tuam nobis, Dñe, quæsumus, hæc hóstia reddat immolánda placátam, tuórum digna postulatióne Sanctórum.

Tertia Secreta. *Exáudi nos,* p. [80].

**Postcommunio.** Da, quæsumus Dómine, fidelibus pópulis Sanctórum tuórum semper veneratióne lætári: et eórum perpétua supplicatióne muniri. Per Dñum.

Pro SS. Martyribus.

**Postcommunio.** Sacraméntis, Dñe, muniamur accéptis: et sanctórum Mártyrum tuórum Sérghii, Bacchi, Marcelli et Apuleii intercessiόne, contra omnes nequitias irrúentis, armis cælestibus protegámur.

Tertia Postcommunio. *Mundet,* p. [80].

EADEM DIE. SS. MART. **Sergii, Bacchi, Marcelli et Apuleii.**

**MISSA.** *Sapientiam,* de Comuni, p. [15], cum Oratíonibus propriis supra notatis.

DIE VIII. OCTOBR. **S. Birgittæ VIDUÆ.**

**MISSA.** *Cognovi,* de Comuni nec Virg. nec Mart. p. [42], præter Orat. seq.

**Oratio.** Dómine Deus noster, qui beátæ Birgittæ per Fílium tuum unigénitum secretá cælestia revelásti: ipsius

piá intercessiόne da nobis famúlis tuis, in revelatióne sempiternæ glóriæ tuæ gaudere lætántes. Per eúndem.

**EPÍSTOLA.** *Carissime!* *Viduas honóra,* ut in eodem Comuni, p. [43].

DIE IX. OCTOBRIS. SS. MART. **Dionysii, Rustici et Eleutherii.**

**INTROITUS.** *Sapientiam,* de Comuni plurim. Mart., p. [15].

**Oratio.** Deus, qui hodiérna die beátum Dionysium, Mártyrem tuum atque Pontíficem, virtúte constantiæ in passióne roborásti, quique illi ad prædicándum géntibus glóriam tuam, Rústicum et Eleuthérium sociáre dignástus es: tribue nobis, quæsumus; eórum imitatióne pro amóre tuo prospéra mundi despícere, et nulla ejus adversa formidáre. Per Dóminum nostrum.

Lectio **Actuum** Apostol.

*Act. 17. e.*

**I**n diébus illis: Stans Paulus in médio Areopági, ait: Viri Athenienses per ómnia quasi supersticiosiores vos video. Præteriens enim, et videns simuláram vestra, invéni et aram, in qua scriptum

erat: Ignóto Deo. Quod ergo ignorántes cólitis, hoc ergo annúntio vobis. Deus, qui fecit mundum, et ómnia, quæ in eo sunt, hic cæli et terræ cum sit Dóminus, non in manufáctis templis hábitat, nec máribus humanis cólitur indigens áliquo, cum ipse det ómnibus vitam, et inspiratiónem, et ómnia: fecitque ex uno omne genus hóminum inhabitáre super universam faciém terræ, definiens statúta témpora, et téminos habitatiónis eórum, quærere Deum, si forte attráctent eum, aut invéniant: quamvis non longe sit ab unoquoque nostrum. In ipso enim vivimus, et sumus: sicut et quidam vestrórum poetárum dixérunt: Ipsius enim et genús sumus. Genus ergo cum simus Dei,



non debemus æstimare auro, aut argénto, aut lápídi, sculpturæ artis, et cogitátionis hóminis, divinum esse simile. Et témpora quidem hujus ignorántiæ despiciens Deus, nunc annúnciat homínibus ut omnes ubique poeniténtiam agant, eo quod státuit diem, in quo judicáturus est orbem in æquitáte, in viro, in quo státuit, fidem præbens omnibus, súscitans eum a mórtuis. Cum audissent autem resurrecciónem mortuórum, quidam quidem irridébant, quidam vero dixerunt : Audiémus te de hoc iterum. Sic Paulus exiit de médio eórum. Quidam vero viri adhæréntes ei, crediderunt : in quibus et

Dionysius Areopagita, et múlier nómine Dámaris, et álíi cum eis.

GRADUALE. *Anima nostra*, p. [15].

EVANGELIUM. *Atténdite a fermento Pharisæorum*, p. [21].

OFFERTORIUM. *Exultábunt*, p. [16].

**Serreta.** Obláta tibi, Dómine, múnera pópuli tui, pro tuórum honóre Sanctórum, súscipe propítius, quæsumus : et eórum nos intercessióne sanctífica. Per Dñum.

COMMUNIO. *Dico autem vobis*, p. [16].

**Postcommunio.** Sumptis, Dómine, sacraméntis, quæsumus : ut intercedéntibus beáteis Martyribus tuis Dionysio, Rústico et Eleuthério, ad redemptionis æternæ proficiamus augmentum. Per Dñum.

## DIE X. OCTOBRI.

## S. Francisci Borgiæ CONFESSORIS.

MISSA. *Os justi*, de Comuni Abbatum, p. [32], præter Orationes sequentes.

**Oratio.** Dómine Jesu Christe, verè humilitátis et exémplar, et præmium : quæsumus ; ut sicut beátum Franciscum in terréni honóris contémptu, imitatórem tui gloriósum effecisti, ita nos ejúsdem imitationis, et gló-

riæ tribuas esse consórtes : Qui vivis et regnas cum Deo Patre.

**Serreta.** Sacris altáribus, Dómine, hóstias superpósitas sanctus Franciscus, quæsumus, in salutem nobis provenire deprecát. Per Dóminum. **Postcommunio.** Prótegat nos, Dómine, cum tui perceptióne sacraménti beátus Franci-

scus, pro nobis intercedéndo : ut et conversatiónis ejus experiámur

insignia, et intercessiónis percipiámus suffrágia. Per Dóminum.

## DIE XIII. OCTOBRI. S. Eduardi CONF.

MISSA. *Os justi*, de Comuni Confessoris non Pont. p. [28], præter Orat. seq.

**Oratio.** Deus, qui beátum regem Eduárdum Confessórem tuum æter-

nitátis glória coronásti : fac nos, quæsumus ; ita eum venerári in terris, ut cum eo regnâre possimus in coelis. Per Dóminum nostrum.

## DIE XIV. OCTOBRI.

## S. Callisti PAPÆ ET MARTYRUM.

INTROITUS. *Sacerdotes Dei*, de Comm. unius Mart. Mart. p. [4].

**Oratio.** Deus, qui nos cónspicis ex nostra infirmitate deficere : ad amórem tuum nos misericórditer per Sanctórum tuórum exémpla restáura. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Filium tuum.

EPISTOLA. *Fratres : Omnis pónitex*, p. [25].

GRAD. *Inveni*, p. [5], et loco ult. *Y.* dicitur sequens.

*V. Eccli. 45.* Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stolam glóriæ induit eum. Allelúia.

EVANGELIUM. *Nihil est opértum*, de Comm. unius Mart. p. [7].

OFFERTORIUM. *Veritas mea*, p. [24].

**Serreta.** Mystica nobis, Dómine, prosit oblátio : quæ nos et a reatióne nostris expédiat, et perpétua salvatióne confirmet. Per Dñum.

COMMUNIO. *Beatus servus*, p. [24].

**Postcommunio.** Quæsumus, omnipotens Deus : ut reátus nostros múnera sacrata purificent, et recte vivéndi nobis operérentur effectum. Per Dóminum nostrum.

## DIE XV. OCTOBRI. S. Ceresiæ VIRG.

MISSA. *Dilecti*, de Comuni Virg. p. [38], præter Orationem sequentem.

**Oratio.** Exáudi nos Deus salutáris noster : ut sicut de beatæ Te-

resæ Virginis tuæ festivitáte gaudémus ; ita cælestis ejus doctrinæ pábulo nutriámur, et piæ devotiónis erudiámur affectu. Per Dñum.



## DIE XVII. OCTOBRIS.

## S. Hedwigis REGINÆ, VIDUÆ.

MISSA. *Cognovi*, de Comuni, p. 423, præter Orationem sequentem.

**Oratio.** Deus, qui beatam Hedwigem a sæculi pompa ad humilem tuæ crucis sequelam toto corde transire

docuisti; concede; ut ejus méritis et exémplo discámus peritúras mundi calcare delicias, et in ampléxu tuæ crucis ómnia nobis adversántia superáre. Qui vivis.

## DIE XVIII. OCTOBRIS. S. Lucae EVANG.

INTROITUS. *Mihi autem*, p. 363.

**Oratio.** Intervéniat pro nobis, quæsumus Dómine, sanctus tuus Lucas, Evangelista: qui crucis mortificatióem júgiter in suo corpore, pro tui nóminis honóre portávit. Per Dóminum nostrum.

Lectio *Epistolæ* beati Pauli Apóstoli ad Corinthios. 2. *Cor. 8. c.*

**F**ratres: Grátias ago Deo, qui dedit eámdem sollicitudinem pro vobis in corde Titi; quóniam exhortatióem quidem suscepit: sed cum sollicitior esset, sua voluntate profectus est ad vos. Misimus etiam cum illo fratrem, cujus laus est in Evangelio per omnes Ecclesiás: Non solum autem, sed et ordinatus est ab Ecclesiis comes peregrinatiónis nostræ, in

hanc grátiam, quæ ministrátur a nobis ad Dómini glóriam, et destinátam voluntátem nostram: devitátes hoc, ne quis nos vituperet in hac plenitúdine, quæ ministrátur a nobis. Providémus enim bona non solum coram Deo, sed etiam coram hominibus. Misimus autem cum illis et fratrem nostrum, quem probávimus in multis sæpe sollicitum esse: nunc autem multo sollicitiorem, confidéntia multa in vos; sive pro Tito, qui est socius meus, et in vos adjútor; sive fratres nostri, Apóstoli Ecclesiárum, glória Christi. Osténsionem ergo, quæ est caritátis vestræ, et nostræ glóriæ pro vobis, in illos osténdite in fáciem Ecclesiárum.

GRADUALE. *In omnem terram*, p. 424.

EVANGELIUM. *Designávit Dñus*, ut in festo S. Marci Evangel. p. 423.

Et dicitur *Credo*.

OFFERTORIUM. *Mihi autem*, p. 365.

**Secreta.** Donis cælestibus da nobis, quæsumus Dómine, libera tibi mente servire: ut múnera quæ deférimus, interveniénte beato Evangelista tuo Luca, et medélam nobis operéntur, et glóriam. Per

Dóminum nostrum Jesum Christum.

Pref. de Apóstolis, p. 250. COMMUNIO. *Vos, qui sciti*, p. 404.

**Postcommunio.** Præsta, quæsumus omnipotens Deus: ut, quod de sancto altári tuo accépinus, précibus beati Evangelistæ tui Luca, sanctificet ánimas nostras, per quod tui esse possimus. Per Dóminum nostrum.

## DIE XIX. OCTOBRIS.

## S. Petri de Alcantara CONFESSORIS.

MISSA. *Fustus*, de Comuni, p. 130, præter sequentia.

**Oratio.** Deus, qui beatum Petrum Confessorem tuum, admirabilis poeniténtiæ, et altissimæ contemplatiónis múnere illustráre di-

gnátus es: da nobis, quæsumus; ut ejus suffragántibus méritis, carne mortificáti, facilius cælestia capiamus. Per Dóminum.

EPÍSTOLA. *Qua mihi scripsit lucra*, de Comm. p. 134.

## DIE XX. OCTOBRIS.

## S. Joannis Cantii CONFESSORIS.

Introitus. *Ecl. 18.*

**I**seratio hominis circa proximum: misericórdia autem Dei super omnem carnem. Qui misericórdiam habet, docet, et erudit quasi pastor gregem suum. *Ps. 7.* Beatus vir, qui non abiit in consilio impiórum, et in

via peccatórum non stetit: et in cathedra pestilentiæ non sedit. *V.* Glória Patri.

**Oratio.** Da, quæsumus omnipotens Deus: ut sancti Joannis Confessoris exémplo in sciéntia Sanctórum proficiétes, atque aliis misericórdiam exhibéntes, ejus méritis indul-



gentiam apud te consequamur. Per Dñm. **Lectio** Epistolæ beati Jacobi Apostoli. 2. c.

**S**ic loquimini, et sic facite, sicut per legem libertatis incipientes judicari. Judicium enim sine misericordia illi, qui non fecit misericordiam: superexaltat autem misericordia judicium. Quid prouiderit, fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? Numquid poterit fides salvare eum? Si autem frater, et soror nudi sint, et indigeant victu quotidiano, dicat autem aliquis ex vobis illis: Ite in pace, calefacimini et saturamini: non deriditis autem eis, quæ necessaria sunt corpori, quid prouiderit? Sic et fides, si non habeat opera, mortua est in semetipsa.

**Graduale.** Ps. 106. Confiteantur Dño misericordie ejus: et mirabilia ejus filiis hominum. **V. ib.** Quia satiavit animam inane: et animam esurientem satiavit bonis. Alleluia, alleluia. **V. Prov. 31.** Manum suam aperuit inopi, et palmas suas

extendit ad pauperem. Alleluia.

**EVANGELIUM.** *Sint lumi vestri, p. [29].*

**Offertorium.** *Job. 29.* Justitia indutus sum, et vestivi me, sicut vestimēto et diadēmate, iudicio meo. Oculi sui cæco, et pes claudō: pater eram pauperum. **Secreta.** Has, quæsumus Dñm, hostias sancti Joannis Confessoris tui meritis benignus assume: et præsta; ut te super omnia, et omnes propter te diligentes, corde tibi et opere placeamus. Per Dñm nostrum Jesum Christum Filium tuum.

**Communio.** *Lucæ 6.* Date, et dabitur vobis: mensuram bonam, et confertam, et coagitatam, et supereffluentem dabunt in sinum vestrum.

**Postcommunio.** Pretiosi corporis et sanguinis tui, Dñm, pasti delicias, tuam supplices deprecamur clementiam: ut sancti Joannis Confessoris tui meritis et exemplis, ejusdem caritatis imitatores effecuti, consortes simus et gloriæ: Qui vivis et regnas.

DIE XXI. OCTOBRIS. **S. Hilariionis** Abb.

**MISSA.** *Os justi, de Comuni Abbatum, p. [32].*

Et fit Comm. SS. Ursulae et sociarum Martyrum.

**Oratio.** Da nobis, quæsumus Dñm, Deus noster: sanctarum Virginum et Martyrum tuarum, Ursulae et sociarum ejus, palmas incessabili devotioe venerari: ut, quas dignamente non possumus celebrare, humilibus saltem frequentemus obsequiis.

**Tertia Oratio.** *A cunctis nos, p. [80].*

Pro SS. Martyribus.

**Secreta.** Intende, quæsumus Dñm, muna

altaribus tuis, pro sanctarum Virginum et Martyrum tuarum, Ursulae et sociarum ejus, festiuitate propōita: ut, sicut per hæc beata mysteria illis gloriam contulisti, ita nobis indulgentiam largiaris.

**Tertia Secreta.** *Exaudi nos, p. [80].*

Pro SS. Martyribus.

**Postcommunio.** Præsta nobis, quæsumus Dñm, intercedentibus sanctis Virginibus et Martyribus tuis: ut quod ore contingimus, pura mente capiamus.

**Tertia Postcommunio.** *Mundet, p. [80].*

EADEM DIE.

**SS. Ursulae et sociarum** Virg. ET MART.

**MISSA.** *Loquubar, de Comuni Virg. et Mart. p. [34].* cum Orationibus supra notatis.

DIE XXV. OCTOBRIS.

SS. MARTYRUM **Chrysanthi et Dariae.**

**MISSA.** *Intra, de Comuni, p. [13].* præter Orationes, Epistolam et Evangelium.

**Oratio.** Beatorum Martyrum tuorum, Dñm, Chrysanthi et Dariae, quæsumus, adisti nobis oratio: ut, quos veneramur obsequio, eorum pium jugiter experiamur auxilium. Per Dñm.

**EPISTOLA.** *Exhibeamus, de Comm. p. [19].*

**EVANGELIUM.** *Va vobis qui edificatis, de Comm. p. [20].*

**Secreta.** Populi tui, quæsumus Dñm, tibi grata sit hostia: quæ in natalitiis sanctorum Martyrum tuorum Chrysanthi et Dariae sollemniter immolatur. Per Dñm nostrum.



**Postcommunio.** Mystici, Dómine, repléti sumus votis et gaudiis : præsta, quæsumus; ut, intercessionibus sancto-

rum Mártyrum tuórum Chrysanthi et Darie, quæ temporaliter ágimus, spiritaliter consequamur. Per Dñum.

## DIE XXVI. OCTOBRIS.

**S. Cbaristi** PAPÆ ET MARTYRIS.

MISSA. *Státus*, de Comuni unius Mart. Pont. p. [2].

## DIE XXVII. OCTOBRIS.

IN VIGILIA SS. APOST. **Simonis et Judae.**

INTROITUS. *Intret*, p. [13].

**Oratio.** Concède, quæsumus omnipotens Deus : ut, sicut Apostolorum tuorum Simonis et Judæ gloriósa natalitia prævenimus; sic ad tua beneficia promerénda, majestátem tuam pro nobis ipsi præveniant. Per Dóminum.

**Oratio** ij. de B. Maria. *Concede nos*, ij. *Ecclesiæ*, vel pro Papa, p. [57] et seq.

**EPÍSTOLA.** *Speñaculum fidei*, de Comm. Conf. nov. Pontificis, p. [30].

**GRADUALE.** *Psalms. 78.* Vindica, Dómine, sanguinem sanctórum tuórum, qui effusus est. **V.** Posuerunt mortália servórum tuórum, Dómine, escas volatilibus cæli : carnes sanctórum tuórum béstis terræ.

**EVANGELIUM.** *Ego sum vitis vera*, de Comm. Mártyrum temp. Paschali, p. [10].

**Offertorium.** *Ps. 149.* Exsultábunt sancti in

glória, lætabúntur in cubilibus suis : exaltatiónes Dei in fáucibus eórum.

**Secreta.** Munéribus nostris, Dómine, sanctórum Apostolorum tuórum Simonis et Judæ festa præcedimus : te suppliciter deprecátes; ut quæ conscientia nostræ præpediúnt obstáculis, illórum méritis grata reddántur. Per Dóminum.

**Secreta** ij. de B. Maria. *Tua Dómine*, ij. *Prælege*, vel pro Papa, p. [58] et sq.

**COMM. Posuerunt, p. 456.**

**Postcommunio.** Sumpto, Dómine, sacraménto suppliciter deprecámur : ut, intercedéntibus beátis Apóstolis tuis Simóne et Juda, quod temporaliter gérimus, ad vitam capiámus ætérnam. Per Dóminum.

**Postcomm.** ij. *Sumptis*, ij. *Quæsumus*, vel pro Papa, p. [58] et sq.

## DIE XXVIII. OCTOBRIS.

SS. APOSTOLORUM **Simonis et Judæ.**

INTROITUS. *Mihi autem*, p. 363.

**Oratio.** Deus, qui nos per beátos Apóstolos tuos Simóne et Judam, ad agnitiónem tui nóminis venire tribuisti : da nobis eórum glóriam sempitérnám et proficiéndo celebráre, et celebrándo proficere. Per Dóminum nostrum.

**EPÍSTOLA.** *Frates : Unicusque nostrum*, ut in Vigilia Ascensionis, p. 283.

**GRADUALE.** *Constitues*, ut in Missa vot. SS. Apost. Petri et Pauli, p. [50].

**Seq. sancti Evangelii** secúndum Joánnem. 15.

**I**n illo témpore : Dixit Jesus discipulis suis : Hæc mando vobis, ut diligátis invicem.

Si mundus vos odit : scitote, quia me prórem vobis odio hábit. Si de mundo fuissétis : mundus, quod suum erat, diligeret : quia vero de mundo non estis, sed ego elégi vos de mundo, propterea odit vos mundus. Mementote sermónis mei, quem ego dixi vobis : Non est servus major dómno suo. Si me persecúti sunt, et vos persequéntur : si sermóne meum serváverunt et vestrum servábunt. Sed hæc ómnia

fáciént vobis propter nomen meum : quia nesciunt eum, qui misit me. Si non venissem, et locútus fuissem eis, peccátum non habérent : nunc autem excusatióne non habent de peccáto suo. Qui me odit, et Patrem meum odit. Si ópera non fecissem in eis, quæ nemo álius fecit, peccátum non habérent : nunc autem et vidérunt, et odérunt et me, et Patrem meum. Sed ut adimpléatur sermo, qui in lege eórum scriptus est : Quia odio habuerunt me gratis.

CREDO.

**OFFERTORIUM.** *In omnem terram*, p. [50].

**Secreta.** Glóriam, Dómine, sanctórum Apostolorum tuórum Simónis et Judæ perpétuam venerátes : quæsumus; ut eam, sacris mystériis expiáti, dignius celebrémus. Per Dóminum.

**Prefatio** de Apost. p. 250.

**COMMUNIO.** *Vos, qui*, p. [51].

**Postcommunio.** Percéptis, Dómine, sacraméntis, suppliciter exorántis, ut, intercedéntibus beátis Apóstolis tuis Simóne et Juda, quæ pro illórum vene-



randa gérimus passióne, nobis proficiant ad me-

délam. Per Dóminum nostrum.

## DIE XXXI. OCTOBRIS.

## IN VIGILIA Omnium Sanctorum.

## Introitus.



*Sap. 3.*  
Udicant sancti gentes, et dominantur populis: et regnabit Dóminus Deus illórum in perpétuum. *Ps. 32.* Exultate justi in Dño: rectos decet collaudatio. V. Glória Patri.

*Non dicitur* Glória in excelsis.

**Oratio.** Dómine Deus noster, multiplica super nos grátiam tuam: et quorum prævenimus gloriosa solémnia, tribue subsequi in sancta professione lætítiam. Per Dóminum.

Secunda Oratio de Spiritu sancto, *iii. Ecclesia*, vel pro Papa, p. [58].

Lectio libri *Apocalypsis* beati Joannis Apóstoli, *5. f.*

**I**n diebus illis: Ecce ego Joannes vidi in médio throni, et quatuor animalium, et in médio seniórum, Agnum stantem tanquam occisum, habentem cornua septem, et oculos septem: qui sunt septem spiritus Dei, missi in omnem terram. Et venit: et accépit de dextera seden-

tis in throno librum. Et cum aperisset librum, quatuor animalia et viginti quatuor seniores ceciderunt coram Agno, habentes singuli citharas, et phialas aureas plenas odorem thronum, quæ sunt orationes sanctorum: et cantabant canticum novum, dicentes: Dignus es, Dómine, accipere librum, et aperire signacula ejus: quóniam occisus es, et redemisti nos Deo in sanguine tuo ex omni tribu, et lingua, et populo, et natione: et fecisti nos Deo nostro regnum, et sacerdotes: et regnabimus super terram. Et vidi, et audivi vocem Angelorum multorum in circuitu throni, et animalium, et seniorum: et erat númerus eorum millia millium, dicentium voce magna: Dignus est Agnus, qui occisus est, accipere virtutem, et divinitatem, et sapientiam, et fortitudinem, et honorem, et gloriam, et benedictionem, in sæcula sæculorum. Amen. **Graduale.** *Psaln. 149.* Exultabunt sancti in

glória, lætabuntur in cubilibus suis. V. Cantate Dño canticum novum, laus ejus in Ecclesia sanctorum.

**EVANGELIUM.** *Descendens Jesus*, de Communi plurim. Mart. p. [15].

**OFFERTORIUM.** *Exultabunt*, p. 556.

**Secreta.** Altare tuum, Dómine, munéribus cumulamus oblatis: da, quæsumus; ut ad salutem nostram, ómnium Sanctorum tuorum præcatione, proficiant, quorum solémnia ventúra præcúrrimus. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Filium tuum.

Secunda Secr. de Spiritu sancto, *Miserere*, *iiij. Protege*, vel pro Papa, p. [59].


**Communio.** *Sap. 3.* Justorum animæ in manu Dei sunt, et non tanget illos tormentum malitiæ: visi sunt oculis insipientium mori: illi autem sunt in pace.

**Postcommunio.** Sacramentis, Dómine, et gaudiis optatæ celebritatis expletis: quæsumus; ut eorum præcibus adjuvemur, quorum recordationibus exhibentur. Per Dóminum.

Secunda Postcomm. de Spiritu sancto, *Sancti Spiritus*, *iiij. Quasumus*, vel pro Papa, p. [59].







Introitus.



Audeamus omnes in Dómino, diem festum celebrantes sub honore Sanctorum omnium: de quorum solemnitate gaudent Angeli, et collaudant Filium Dei. *Ps. 32.* Exsultate justi in Dómino: rectos decet collaudatio. *V. Glória Patri.*

**Oratio.** Omnipotens sempitérne Deus, qui nos omnium Sanctorum tuorum mérita sub una tribuisti celebritate venerári: quæsumus; ut desideratam nobis tuæ propitiatiónis abundantiam, multiplicatis intercessoribus largiáris. Per Dóminum.

Lectio libri Apocalypsis B. Joánnis Apóstoli. 7.

**I**n diebus illis: Ecce ego Joánnes, vidi álium Angelum ascendéntem ab ortu solis, habéntem signum Dei vivi: et clamávit voce magna quatuor Angelis, quibus datum est nocére terræ, et mari dicens: Nolite nocére terræ et mari, neque arboribus, quoadúsque signémus servos Dei nostri in frontibus eórum. Et audivi númerum signatorum, centum quadraginta quatuor millia signáti, ex omni tribu filiorum Israel. Ex tribu Juda duódecim millia signáti. Ex tribu Ruben duódecim millia signáti. Ex tribu Gad duódecim millia signáti. Ex tribu



Aser duodecim millia signati. Ex tribu Nephthali duodecim millia signati. Ex tribu Manasse duodecim millia signati. Ex tribu Simeon duodecim millia signati. Ex tribu Levi duodecim millia signati. Ex tribu Issachar duodecim millia signati. Ex tribu Zabulon duodecim millia signati. Ex tribu Joseph duodecim millia signati. Ex tribu Benjamin duodecim millia signati. Post hæc vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus, et tribubus, et populis, et linguis, stantes ante thronum, et in conspectu Agni, amici stolis albis, et palmæ in manibus eorum: et clamabant voce magna, dicentes: Salus Deo nostro, qui sedet super thronum, et Agno. Et omnes Angeli stabant in circuitu throni, et seniorum, et quatuor animalium: et ceciderunt in conspectu throni in facies suas, et adoraverunt Deum, dicentes: Amen. Benedictio, et claritas, et sapientia, et gratiarum actio, honor, et virtus, et fortitudo Deo nostro, in sæcula sæculorum. Amen.

**Graduale. Psalm. 33.** Timete Dñm cum omnes sancti ejus: quoniam nihil deest timen- tibus eum. **V.** Inquirentes autem Dñm, non deficient omni bono. Alleluia, alleluia. **V. Matth. 11.** Venite ad me omnes qui laboratis, et onerati estis: et ego reficiam vos. Alleluia.

**Seq. sancti Evangelii secundum Matthæum. 5.**

**I**n illo tempore: Videns Jesus turbas, ascendit in montem, et cum sedisset, accesserunt ad eum discipuli ejus, et aperiens os suum, docebat eos, dicens: Beati pauperes spiritu: quoniam ipsorum est regnum celorum. Beati mites: quoniam ipsi possidebunt terram. Beati, qui lugent: quoniam ipsi consolabuntur. Beati, qui esuriunt, et sitiunt iustitiam: quoniam ipsi saturabuntur. Beati misericordes: quoniam ipsi misericordiam consequentur. Beati mundo corde: quoniam ipsi Deum videbunt. Beati pacifici: quoniam filii Dei vocabuntur. Beati, qui persecutionem patiuntur propter iustitiam: quoniam ipsorum est regnum celo-

rum. Beati estis cum maledixerint vobis, et persecuti vos fuerint, et dixerint omne malum adversum vos mentientes, propter me: gaudent, et exultate, quoniam merces vestra copiosa est in caelis. **CREDO.**  
**Offertorium. Sap. 3.** Justorum animæ in manu Dei sunt, et non tanget illos tormentum malitiæ: visi sunt oculis insipientium mori, illi autem sunt in pace.

**Secreta.** Mûnera tibi, Dñme, nostræ devotionis offerimus: quæ et pro cunctorum tibi grata sint honore justorum, et nobis salutaria, te miserante, reddantur. Per Dñm.

**Communio. Matth. 5.** Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt: beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur: beati, qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum celorum.

**Postcommunio.** Da, quæsumus Dñme, fidelibus populis, omnium sanctorum semper veneratione lætari: et eorum perpetua supplicatione muniri. Per Dñm nostrum Jesum Christum Filium tuum.

¶ Infra Oct. Missa dicitur sicut in die Festi. Oratio ij. de Spiritu sancto. *Deus, qui corda, ij. Ecclesie, vel pro Papa, p. [58].* Et dicitur *Credo.*

## DIE II. NOVEMBRIS.

Secunda die fit Commemoratio omnium Fidelium Defunctorum: et dicitur *Missa Requiem æternam,* quæ est prima pro Defunctis, p. [52].

Sed in Ecclesiis Cathedr. et Collegiatis dicuntur due

Misse, una de Octava post Tertiam, altera principalis pro Defunctis post Nonam.

Si autem ij. die fuerit Dominica, dicta Commemoratio omnium Fidelium Defunctorum fit sequenti Feria ij.

## DIE IV. NOVEMBRIS.

**S. Caroli** EPISCOPI ET CONFESSORIS.

**MISSA. Stetit, de Comuni, p. [21], præter seq.**

**Oratio.** Ecclesiam tuam, Dñme, sancti Caroli Confessoris tui atque Pontificis, continua protectione custodi:

ut sicut illum pastoralis sollicitudo gloriosum reddidit; ita nos ejus intercessio in tuo semper faciat amore ferventes. Per Dñm nostrum.



564 **Dei. Basil. SS. Salvatoris.**

Pro Octava Omnium Sanctorum. Oratio. *Omnipotens*, p. 561.

Et fit Commem. SS. Vitalis et Agricolæ Mart.

**Oratio.** Præsta, quæsumus omnipotens Deus : ut, qui sanctorum Martyrum tuorum Vitalis et Agricolæ solèmnia cõli-

mus, eorum apud te intercessionibus adjuvemur. Per Dominum.

*Credo*, ratione Octavæ Sanctorum.

Pro SS. Martyribus.

**SECRETÀ.** *Obliâs*, p. [28].

Pro SS. Martyribus.

**POSTCOMMUNIO.** *Hæc nos comminatio*, p. [29]

**EADEM DIE.**

**SS. Vitalis et Agricolæ Martyrum.**

**MISSA.** *Sapientiam*, p. [15], cum supra notatis Orationibus.

**EPISTOLA** vero erit *Rememorâmini*, pag. [16].  
**EVANG.** *Si quis vult*, p. [15].

**DIE VIII. NOVEMBRIS.**

In Octava Omnium Sanctorum dicitur Missa sicut in die, cum Comm. SS. Mart. Quatuor Coronatorum.

**Oratio.** Præsta, quæsumus omnipotens Deus : ut, qui gloriosos Martyres fortes in sua confessione cognovimus, pios apud te in nostra intercessione sentiamus. Per Dominum nostrum.

**Secreta.** Benedictio tua, Domine, larga descen-

dat : quæ et mûnera nostra, deprecantibus sanctis Martyribus tuis, tibi reddat accepta, et nobis sacramentum redemptionis efficiat. Per Dominum nostrum.

**Postcommunio.** Cælestibus refecti sacramentis et gaudiis : supplices te, Domine, deprecamur ; ut quorum gloriamur auxiliis. Per Dominum.

**DIE IX. NOVEMBRIS.**

**IN DEDICATIONE BASILICÆ SS. Salvatoris.**

**MISSA.** *Terribilis est*, de Comm. Dedicatõnis Ecclesiæ, p. [44]. Et dicitur *Credo*.

Pro Comm. S. Theodori Martyris.

**Oratio.** Deus, qui nos beati Theodori Martyris tui confessione glo-

riosa circumdas et protegis : præsta nobis eus imitatione proficere, et oratione fulciri. Per Dominum nostrum.  
**Secreta.** Sûscipe, Domine, fideliûm preces cum

**Die 10 Nov.—SS. Tryphonis et Soc. 565**

oblationibus hostiarum : et intercedente beato Theodoro Martyre tuo, per hæc piæ devotõnis officia, ad cælestem gloriam transeamus. Per Dominum nostrum.

**Postcommunio.** Præsta nobis, quæsumus Domine : intercedente beato Theodoro Martyre tuo ; ut quod ore contingimus, pura mente capiamus. Per Dominum nostrum.

**EADEM DIE. S. Theodori Martyris.**

**MISSA.** *Lalâbitur*, de Communi, p. [7], cum Orationibus ut supra.

**DIE X. NOVEMBRIS.**

**S. Andreae Abellini Confessoris.**

**MISSA.** *Os iusti*, de Communi Confessoris non Pont. p. [28], præter Orationem sequentem.

**Oratio.** Deus, qui in corde beati Andreae Confessoris tui, per arduum quotidie in virtutibus proficiendi votum admirabiles ad te adscensionis disposuisti : concede

nobis, ipsius meritis et intercessione, ita ejusdè gratiæ participes fieri ; ut perfectiora semper exsequentes, ad gloriæ tuæ fastigium feliciter perducamur. Per Dñm.

Et fit Comm. SS. Mart. Tryphonis et sociorum, cum Orationibus ut in sequenti Missa propria.

**EADEM DIE. SS. Martyrum Tryphonis, Respicii et Nymphæ Virginis.**

**Introitus.** *Ps. 33.*

**Lamâverunt** iusti, et Dominus exaudivit eos : et ex omnibus tribulationibus eorum liberavit eos. *Ps. ibid.* Benedicam Dominum in omni tempore : semper laus ejus in ore meo. *V. Gloria Patri.*

**Oratio.** Fac nos, quæsumus Dñe, sanctorum Martyrum tuorum Try-

phonis, Respicii et Nymphæ semper festa sectari : quorum suffragiis protectionis tuæ dona sentiamus. Per Dominum nostrum.

**EPISTOLA.** *Non sunt condigna*, de Communi, p. [18].

**GRADUALE.** *Vindicta*, p. 456, loco secundi *V.* dicitur sequens.

*V. Ps. 115.* Pretiosa in conspectu Dñi mors sanctorum ejus. Allelûa.



EVANGELIUM. *Attēditē a fermento*, de Communi, p. [21].

OFFERTORIUM. *Ps. 37. Lætāmini in Dño, et exultātē justī : et gloriāmini omnēs rectī corde.*

SECRETA. *Mānera*, p. [16].

COMMUNIO. *Matth. 12. Quicumque fecerit voluntatem Patris mei, qui in caelis est : ipse meus frater, et soror, et mater est, dicit Dñominus.*

POSTCOMMUNIO. *Præsta*, p. [16].

## DIE XI. NOVEMBRIS.

## S. Martini EPISCOPI ET CONFESSORIS.

INTROITUS. *Stātuit*, de Communi, p. [21].

ORATIO. Deus, qui cōspicis, quia ex nulla nostra virtūte subsistimus : concēde propitiū, ut intercessiōne beāti Martini, Confessoris tui atque Pontificis, contra omnia adversa muniāmur. Per Dñominū nostrum.

Pro S. Menna Martyre.

ORATIO. *Præsta*, p. [6].

EPISTOLA. *Ecce sacerdos*, p. [21].

GRADUALE. *Ecce sacerdos magnus*, p. [22] et loco ultimi V. dicitur seq.

V. Beātus vir sanctus Martinus, urbis Turōnis Episcopus, requiēvit : quem suscepērunt Angeli, atque Archangeli, Throni, Dominationes, et Virtutes. Allelūa.

EVANGELIUM. *Nemo lucernam*, de Comm. p. [25].

OFFERTORIUM. *Vēritas mea*, p. [24].

SECRETA. Da misericors Deus : ut hæc salutāris oblatiō et a propriis nos reatibus indesinenter expēdiat, et ab omnibus tueatur adversis. Per Dñominū nostrum.

Pro S. Menna Mart.

SECRETA. *Muneribus*, p. [7].

COMMUNIO. *Beātus servus*, p. [29].

POSTCOMMUNIO. *Præsta*, quæsumus Dñomine Deus noster : ut quorum festivitāte vota sunt sacramēta, eōrum intercessiōne salutāria nobis reddantur. Per Dñominū nostrum.

Pro S. Menna Martyre.

POSTCOMMUNIO. *Da quæsumus*, p. [7].

## EADEM DIE. S. Mennae MARTYRIS.

MISSA. *Lætābitur*, de Communi, p. [7], cum Orationibus ut supra.

## DIE XII. NOVEMBRIS.

## S. Martini PAPÆ ET MARTYRIS.

MISSA. *Sacerdotes Dei*, p. [4]. EPISTOLA. *Communicantes*, p. [6]. EVANGELIUM. *Si quis venit*, p. [3].

## DIE XIII. NOVEMBRIS. S. Didaci CONF.

MISSA. *Fustus ut palma*, ut in Communi Conf. non Pont. p. [39], præter Orationem sequentem.

ORATIO. Omnipotens sempiternus Deus, qui dispositione mirabili infirma mundi eligis, ut

fortia quæque confundas : concēde propitiū humilitati nostræ; ut piis beāti Didaci Confessoris tui precibus, ad perennem in caelis gloriā sublimari mereāmur. Per Dñominū.

## DIE XIV. NOVEMBRIS.

## S. Josaphat EPISCOPI ET MARTYRIS.

## Introitus.



Audeāmus omnes in Dñomino, diem festum celebrātes sub honore beāti Josaphat Martyris; de cuius passiōe gaudent Angeli, et collaudant Filium Dei. *Ps. 32. Exultātē justī in Dñomino : rectos decet collaudatio.* V. Gloria Patri.

ORATIO. Excita, quæsumus Dñe, in Ecclesia tua Spiritum, quo replētus beātus Josaphat Martyr et Pontifex tuus, animam suam pro ovis pōsuit : ut eo intercedente, nos quoque eodem Spiritu moti ac roborati, animam nostram pro fratribus pōnere non vereāmur. Per

Dñominū. in unitate ejūdem.

Lectio Epistolæ beāti Pauli Apostoli ad Hebræos. 5.

FRATRES : Omnis pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis, quæ sunt ad Deum, ut offerat dona, et sacrificia pro peccatis : qui condolere possit iis, qui ignorant, et errant : quoniam et ipse circumdatus est infirmitate : et propterea debet, quemadmodum pro populo, ita etiam et pro semetipso offerre pro peccatis. Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo, tamquam Aaron. Sic et Christus non semetipsum clarifi-



cávit ut pónitífex fieret : sed qui locútus est ad eum : Filius meus es tu, ego hódie genui te. Quemádmódum et in álío loco dicit : Tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech.

GRADUALE. *Inveni*, p. [3]. sed loco ult. *Y. dic. seq.*

*Y.* Hic est sacerdos, quem coronávit Dóminus. Alleluia.

In Missis votivis temp. Pasch. *Alleluia, alleluia. Confitebuntur*, p. [10].

EVANGELIUM. *Ego sum pastor bonus*, ut in Dom. II. post Pascha, p. 275.

Post Septuages. 25. omíssis *Alleluia*, et *Y. seq.* dicitur.

TRACT. *Desiderium*, p. [3].

Offertorium. *Joann. 15.* Majórem caritatem nemo habet, ut animam

suam ponat quis pro amicis suis.

**Serreta.** Clementissime Deus, múnera nostra tua benedictióne perfúnde, et nos in fide confirma : quam sanctus Jósaphat Martyr et Pónitífex tuus, effúso ságuine adseruit. Per Dóminum.

**Communio.** *Joann. 10.* Ego sum pastor bonus, et cognosco oves meas, et cognoscunt me meae.

**Poscommunio.** Spiritum, Dómine, fortitúdinis hæc nobis tribuat mensa creléstis : quæ sancti Jósaphat Martyris tui atque Pontíficis vitam pro Ecclésiæ honóre júgiter áluit ad victóriam. Per Dóminum .... qui tecum vivit.

## DIE XV. NOVEMBR.

MISSA. *Dilexisti*, de Comuni Virg. p. [38], præter Orationem sequentem.

**Oratio.** Deus, qui in corde beátæ Gertrúdis Virginis jucúdam tibi

**S. Gertrúdis** VIRG.

mansiónem preparásti : ipsius méritis et intercessióne cordis nostri máculas cleméter absterge, et ejúsdem tribue gaudere consórtio. Per

## DIE XVII. NOVEMBRIS.

**S. Gregorii Chaumaturgi** EPISC. ET CONF.

MISSA. *Státuit*, de Comuni Confessoris Pontíficis, p. [21], præter Evangelium sequens.

*Seq. sancti Evangelii* secundum Marcum. 11.

**I**n illo tempore : Respondens Jesus discipulis suis, ait illis :

Habéte fidem Dei. Amen dico vobis, quia quicumque dixerit huic monti : Tóllere, et mittere in mare, et non

hæsítáverit in corde suo, sed crediderit, quia quocúmque dixerit fiat, fiet ei. Propterea

dico vobis : Omnia quæcúmque orantes pétitis, créditè quia accipiétis, et veniént vobis.

## DIE XVIII. NOVEMBRIS. IN DEDICATIONE

BASILICARUM SS. APOST. **Petri et Pauli.**

MISSA. *Terribilis est*, de Comuni Dedicat. Ecclesiæ, p. [44]. Et dicitur *Credo*.

DIE XIX. NOVEMBR. **S. Elisabeth** VID.

MISSA. *Cognóvi*, de Comuni nec Virg. nec Martyris, p. [42], præter Orationem sequentem.

**Oratio.** Tuórum corda fidélium Deus miseráto illumstra : et beátæ Elisabeth précibus gloriósis, fac nos prospéra

mundi despiciere ; et cœlésti semper consolatióne gaudere. Per Dóminum.

Et fit Commem. S. Pontiani Papæ et Mart. Oratio. *Infirmátem*, ex Missa *Státuit*, de Comuni unius Mart Pont. p. [2].

## EADEM DIE.

**S. Pontiani** PAPÆ ET MARTYRIS.

MISSA. *Státuit*, j. loco, p. [2]. Evangelium. *Nihil est apertum*, p. [8].

## DIE XX. NOVEMBRIS.

**S. Felicis** de Calois CONFESSORIS.

MISSA. *Fustus*, de Comuni Confess. non Pontif. p. [30], præter Orationem sequentem.

**Oratio.** Deus qui beátum Felicem Confessórem tuum ex erémo ad munus rediméndi capti-

vos cœlitis vocáre dignátus es : præsta, quæsumus ; ut per grátiam tuam ex peccatórum nostrórum captivité, ejus intercessióne liberáti, ad cœléstem pátriam perducámur. Per Dñum.

## DIE XXI. NOVEMBRIS. IN FESTO PRÆSEN-

TATIONIS **Beatae** Mariæ Virginis.

MISSA. *Salve sancta parens*, ut in Missis votivis B. M. V. a Pentec. usque ad Advent. p. [57], præter Orationem seq.



**Oratio.** Deus, qui beatam Mariam semper Virginem, Spiritus sancti habitaculum, hodierna die in templo præsentari voluisti: præsta, quæsumus; ut, ejus in-

tercessione, in templo gloriæ tuæ præsentari mereamur. Per Dñum... in unitate ejusdem.

Et dicitur *Credo*. Præfatio de B. Maria. *Et te in Præsentatione*, p. [250].

## DIE XXII. NOVEMBRIS.

**S. Cæciliæ** VIRGINIS ET MARTYRIS.

**INTROITUS.** *Loquebar*, de Communi, p. [34].

**Oratio.** Deus, qui nos annua beatæ Cæciliæ Virginis et Martyris tuæ solemnitate lætificas: da, ut quam veneramur officio, etiam pie conversationis sequamur exemplo. Per Dñm.

**EPISTOLA.** *Domine Deus*, de Communi, p. [36].

**Graduale.** *Ps. 44.* Audi, filia, et vide, et inclina aurem tuam: quia concupivit Rex speciem tuam. *V.* Specie tua et pulchritudine tua intendente, prospere procede, et regna. *Allelúia, allelúia.* *V. Matth. 25.* Quinque prudentes virgines accepérunt óleum

in vasis suis cum lampádibus: média autem nocte clamor factus est: Ecce sponsus venit, exite obviam Christo Dómino. *Allelúia.*

**EVANGELIUM.** *Stimile erit regnum calórum decem virginibus*, de Communi, p. [33].

**OFFERTORIUM.** *Afferentur*, p. [35].


**Secreta.** Hæc hóstia, Dómine, placatiónis et laudis, quæsumus: ut, intercedente beatâ Cæcilia Virgine et Martyre tua, nos propitiatióne tua dignos semper efficiat. Per Dóminum.

**COMMUNIO.** *Confundatur*, p. [35].

**POSTCOMMUNIO.** *Satitstri*, p. [39].

## DIE XXIII. NOVEMBRIS.

**S. Clementis** PAPÆ ET MARTYRIS.

**Introitus.** *Is. 59 et 57.*  
cít Dóminus: Sermónes mei, quos dedi in os tuum, non deficiunt de ore tuo: et

múnera tua accepta erunt super altáre meum. *Ps. 111.* Beátus vir, qui timet Dóminum: in mandátis ejus cupit nimis. *V.* Glória Patri.

**Oratio.** Deus, qui nos annua beati Clementis Martyris tui atque Pontificis solemnitate lætificas: concede propitiús; ut cujus natalitia cólimus, virtútem quoque passiónis imitemur. Per Dóminum nostrum.

**Pro Commem.** S. Felicitatis Martyris.

**Oratio.** Præsta, quæsumus omnipotens Deus: ut, beatâ Felicitatis Martyris tuæ sollemnitate recensentes, méritis ipsius protegámur, et précibus.

**EPISTOLA.** *Imitatores mei*, ut in Dominica xxiii. post Pentecosten, p. 336.

**Graduale.** *Ps. 109.* Juravit Dóminus, et non poenitèbit eum: Tu es sacerdos in ætérnum, secundum órđinem Melchisedech. *V.* Dixit Dómino Dómino meo: Sede a dextris meis. *Allelúia, allelúia.* *V.* Hic est sacerdos, quem coronávit Dóminus. *Allelúia.*

**EVANGELIUM.** *Vigilate*, de Communi Conf. Pont., p. [24].

**OFFERTORIUM.** *Veritas mea*, p. [24].

**Secreta.** Múnera tibi, Dómine, oblata sanctificata: et, intercedente beató Clemente Martyre tuo atque Pontifice, per hæc nos a peccatórum nostrórum máculis emúnda. Per Dóminum.

**Pro S. Felicitate Mart.**

**Secreta.** Vota pópuli tui, Dómine, propitiátus intendente: et cujus nos tribuis sollemnitate celebráre, fac gaudere suffrágiis. Per Dóminum nostrum Jesum Christum.

**COMMUNIO.** *Beátus servus*, p. [24].

**Postcommunio.** Córporis sacri, et pretiósí sanguinis repléti libámine, quæsumus Dómine noster: ut quod pia devotióne gérimus, intercedente beato Clemente Martyre tuo atque Pontifice, certa redemptione capiámus. Per eúndem Dóminum.

**Pro S. Felicitate Mart.**

**Postcommunio.** Súplices te rogámus, omnipotens Deus: ut intercedéntibus Sanctis tuis, et tua in nobis dona multiplices, et témpora nostra dispónas. Per Dñm.

EADEM DIE. **S. Felicitatis** MARTYRIS.

**MISSA.** *Me exspectaverunt*, de Communi, p. [36], cum Orationibus ut supra.





## DIE XXIV. NOVEMBRIS.

## S. Joannis a Cruce CONFESSORIS.

MISSA. *Os justi*, de Comuni Confessoris non Pontificis, p. [32] præter Orationem sequentem.

**Oratio.** Deus, qui sanctum Joannem Confessorem tuum perfectæ sui abnegationis, et crucis

amatorem exitum effecisti : concede, ut ejus imitationi jûgiter inhaerentes, gloriâ assequamur æternam. Per Dñm.

Et fit Commem. S. Chrysogoni Mart. Orationes ut in sequenti Missa.

## EADEM DIE. S. Chrysogoni MARTYRIS.

MISSA. *In virtute tua*, de Comuni unius Mart. non Pontif., p. [6] præter Orationes sequentes.

**Oratio.** Adesto, Domine, supplicationibus nostris : ut qui ex iniquitate nostra reos nos esse cognoscimus, beati Chrysogoni Martyris tui intercessione liberemur.

**Secreta.** Oblâti, quæsumus Domine, placare munèribus : et, intercedente beato Chrysogono Martyre tuo, a cunctis nos defende periculis.

**Postcommunio.** Tui, Domine, perceptione sacramenti, et a nostris mundemur occultis : et ab hostium liberemur insidiis.

## DIE XXV. NOVEMBRIS.

## S. Catharinae VIRGINIS ET MARTYRIS.

MISSA. *Loquelbar*, de Comuni Virginis et Martyris, p. [34] præter Orationem sequentem.

**Oratio.** Deus, qui didisti legem Môysi in summitate montis Sinai, et in eodem loco, per sanctos Angelos tuos, cor-

pus beatæ Catharinae Virginis et Martyris tuæ mirabiliter collocasti : præsta, quæsumus; ut ejus meritis et intercessione, ad montem qui Christus est, pervenire valeamus. Qui tecum vivit et regnat.

## DIE XXVI. NOVEMBRIS

## S. Silvestri ABBATIS.

MISSA. *Os justi*, de Comuni Abbatum [32] præter Orationes sequentes.

**Oratio.** Clementissime Deus, qui sanctum Silvestrum Abbatem sæculi hujus vanitatem in aperto tumultu pie meditantem ad eremum vocare, et præclaris vitæ meritis decorare dignatus es : te supplices exoramus; ut ejus exemplo terræ despicientes, tui consortio perfruemur æterno. Per Dominum.

Et fit Commem. S. Petri Alexandrii Episc. et Mart. Orationes ex Missa *Silvini*, de Comuni unius Mart. Pont. [2]

**Secreta.** Quæsumus Domine, ut dum hæc mûnera divinæ majestati tuæ reverenter offerimus; pia mentis præparatione et cordis puritate, beati Silvestri Abbatis imitatores effecti, corpus et sanguinem Filii tui sancte percipere mereamur. Qui tecum.

**Postcommunio.** Divina dape refectis tribue, quæsumus Domine, sancti Silvestri Abbatis vestigiis ita inhaerere; ut copiosam mercèdem in regno gloriæ tuæ, cum sanctis habeamus. Per Dominum.

